



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniae Agrippinae, 1705**

**VD18 15298639**

24. Mortificatio passionum.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

II. Reseca in me, Factor meū, mentis hebetudinem, cordis cecitatem, & inanium phantasmatum turbam. S. Aug. med c. 1.

III. Libera me, Domine, ab omnibus phantasiis, ad peccatum pertrahentibus.

## PASSUS XXIV.

De Mortificatione Appetitūs  
& Passionum ejus.

### TEXTUS.

*Post concupiscentias tuas non eas; si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis. Eccli. c. 18. 30.*

### Cognitio.

**P**ASSIO; Græcè πάθος, Latine perturbatio, est motus sensibilis, seu sensitivus, appetitivæ potentiae seu virtutis, ob imaginationem boni vel mali proveniens. D. Thom. 1. 2. q. 22. a. 3. Appetitus autem duplex est, concupiscibilis & irascibilis: in quibus undecim resident passionēs. In appetitu

petitu concupiscibili sex : scilicet amor, desiderium, gaudium, odium, fuga, tristitia. In appetitu irascibili quinque : Spes, desperatio, audacia, timor, & ira. Quæ omnes, cum divina gratia, frœnandæ, & per Examen Particulare sunt mortificandæ, quantum fieri potest ; & si non evellendæ, (neque enim Stoicorum apathia datur) at saltem supprimendæ, minuendæ, & cohibendæ sunt, ne ad peccatum pertrahant.

### Consideratio.

Si passionum nostrarum detrimenta innumera crebrius meditaremur, profundiusque penetrarem, quanto eas studio comprimeremus ! I. Illæ enim hostes nostri sunt : qui teste S. Augustino in Psal. 121. in procœmio, *Ad peritura nos vocant, ad ima precipitant, in profunda demergunt, intellectum excœcant, voluntatem à virtutum studio avocant, memoriam bonorum elidunt, appetitum concitant, rationem persequuntur, corpus in haram & jumentorum stabulum permutant, equo effœceni & indomito similes reddunt, & quò impetus incitaverit, per omnem licentiam nos currere faciunt ; nullâ valetudinis, nullâ famæ, nullâ privati, communisque boni habitâ ratione.* II. Arma sunt passiones, quibus nos Sathan impugnat ; retia, quæ nos

nos capiunt , carnifices , qui nos vexant ; & vix ullam quietis partem nobis relinquunt. III. Veluti procellæ sunt ac fluctus , in se mutuò collisi , qui cordis nostri mare commovent & concutiunt , perturbant & agitant. His autem turbato cordis mari , amamus , quod foret odiendum ; odimus , quod foret amandum ; desideramus fugienda , & fugimus desideranda ; lætamur de tristibus , & dolemus de lætis : hinc peccatorum scaturigo : hinc pugna & colluctatio , ut velimus & nolimus : velimus virtutem , quia bona est ; nolimus , quia difficilis est : velimus vitium , quia jucundum ; nolimus , quia foedum & noxium. O quis è tot laqueis , hostibus , armis & procellis , evellet pedes meos ?

*Petitio.*

Tu Domine , qui dominaris potestati maris , & motum fluctuum ejus mitigas ; impera ventis passionum mearum ; & fiet in corde meo tranquillitas magna.

*Aspirationes.*

I. Sub te erit appetitus tuus , & tu dominaberis illius. Gen. c. 4. 7.

II. Libera me , quaeso , Domine , à peccatis & vitiis ; & reple me tuis sanctis virtutibus. S. Aug. med. c. 12.

III. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius, & appetitûs passionibus? Gratia Dei per Dominum nostrum IESUM Christum. Rom. c. 7.*

P A S S U S XXV.

Mortificatio Amoris proprii,  
omnium passionum Ducis.

T E X T U S.

*Erunt homines seipsos amantes,  
cupidi, elati, superbi. 2.  
Tim. 3. 2.*

Cognitio.

**A** Mor proprius, seu φιλαυλία, id est amor sui ipsius, est, quo quis tantum studet suis commodis, nullâ habitâ ratione, vel divinæ gloriæ, vel alterius finis honesti. Ita S. Basil. Reg. brev. c. 54. S. Gregor. hom. 4. in Ezech.

Actus Amoris proprii, Examini  
Particularis limâ abradendi  
sunt.

1. Nimius sui amor & æstimatio.

D 4

2. De-